DISSERTATIO INAUGURALIS

TRACTANS

RESPIRATIONIS

MODIFICATIONES,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRÆSIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

pro

Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea

RITE OBTINENDA

in celeberrima

ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Fridericus Knapp,

VIENNENSIS,

Medicus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Julii 1842.

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.

Seinem

hochverehrten Oheim,

Herrn

JOHANN VOGL,

Director der k. k. Normal-Hauptschule

zu

St. Anna in Wien,

Weihet

diesen ersten Versuch literarischer Arbeit

a l s

einen schwachen Beweis

innigster Hochachtung und Dankbarkeit

d e r

Verfasser.

Prooemium.

Ut legibus academicis, quae cuique antequam Laurea Doctoris ornaretur, aliquid publicae disquisitioni submittere commendant, satisfaciam, e vasto medicinae campo Respirationis modificationes elegi, et quidem ordine alphabetico prius animam, dein respirationem ipsam tractavi. Physiologica peragendi ratio singulae modificationis minus considerabatur, quam valor pathologicus, quem fusius, in quantum vires meae adhuc imbecilles admisere, exponere conabar.

Admodum pauca et imperfecta tibi, lector benevole! trado, ast considera me adhuc tironem in arte nostra, in themate aliquo pertractando magnis premi difficultatibus, nec non breve tempus, quo id peragere jussus fueram,

Suscipe igitur primum hoc in scientia medica tractamen meum animo benevolo, et fave

Auctori.

Anima (*Athem*).

Aër exspirationis actu expulsus. Quatenus objectum observationis medicae est, temperatura et odor ejus respicitur.

Anima calida.

Temperatura animae augetur cum augmento caloris universi corporis. Obvenit in febribus validis, praecipue biliosis, et in phlogosibus, nominatim cavi oris et viarum respiratoriarum. Quanto calidior anima in his morbis, eo majorem gradum et eo majus periculum indicat. Anima calida foetens putridis affectionibus se associat.

Anima frigida.

Est periculosum, non raro mortem annuncians symptoma, maximam enim debilitatem declarat. — Anima summopere frigida in cholera est signum constans, non recte periculosum. — Anima frigida in pleuritide et pneumonia est pessimi ominis, instantem enim gangraenam aut paralysim significat. — Sic et in apoplecticis non optata est apparitio.

Anima foetens.

Saepe oritur ab ingestis substantiis foetidis uti: allio, assa foetida, caseo putrido etc. — Observatur etiam sub diutiori usu sulfuris aut mercurii. — Causa hujus mali praeterea potest esse immundities, dentes cariosi, aliae passiones cavi oris, faucium, gingivarum, ptyalismus, aphthae, angina gangraenosa, imo simplex catarrhus. — Plerumque observatur in ulcerationibus oris, faucium, narium, oesophagi, ventri-

culi, laryngis et pulmonum. — Obvenit non raro post suppressos sudores axillares, pedum; post suppressam menstruationem, retropulsa exanthemata. — Producitur etiam fame, aut nimia voracitate, pyrosi, accumulatione sordium gastricarum, helminthiasi, infarctibus, chronicis passionibus lienis et hepatis. — Comitatur et anima foetens rhachitidem, scrohpulas, scorbutum, cachexiam mercurialem, morbos putridos, phthises, cyanosim, choleram, et multas passiones psychicas. — Anima cadaverose foetens obvenit in agonisantibus ex gangraena interna; in puerperis aut gravidis post mortem foetus in utero saepe observatur. — Repente comparens anima foetens in morbis febrilibus mortem indicat.

Respiratio *(das Athmen)*.

Est objectum maximae dignitatis pro medico, nam ex ejus diversitate rite considerata, multa et summe necessaria pro diagnosi hauriri possunt.

Respiratio anxia

Sub magna omnium musculorum respirationi dicatorum intentione, facie anxia, imo maximum gradum si attingit, sub convulsionibus musculorum faciei et colli peragitur. — Indicat respiratio talis aut dolores sub inspiratione, aut turbas in circulo sanguinis, a quibus congestiones in cavo thoracis aut cranii causantur. Respiratio valde anxia est symptoma omnium morborum laryngis gradus altioris, uti inflammationis, suppurationis, ulcerationis, anginae membranaceae, oedematis glottidis; corpora peregrina laryngem, tracheam penetrantia eam provocare valent; sic etiam bronchitis utriusque lateris, pneumonia, notabiliores morbi organici cordis, hydrocardia, hydrothorax, tumores vias respiratorias prementes, anevrysmata aor-

tae. — Omni in casu est symptoma periculosum et suffocationis saepe praecursor.

Respiratio brevis, lenta.

Consistit in impossibilitate profunde inspirandi, et indicat impedimenta in organis respiratoriis et circulatoriis, quae extensionem normalem pulmonum impediunt.

Respiratio brevis est omnibus asthmaticis conveniens symptoma. Est praeterea signum spasmi, congestionis, inflammationis organorum respiratoriorum et haec circumdantium partium, coarctationis cavi thoracis, inflammationum organorum abdominalium, praecipue partis superioris, magnae debilitatis, insultuum spasticorum. — Celer, antroversione mitiganda respiratio brevis pertinet ad praecursores et comites phthiseos pulmonalis, praeprimis tuberculosae. — Celer, cum levantibus inspirationibus profundis alternans respiratio brevis est symptoma inflammationis cordis. Generatim in morbis cordis frequentius observatur respiratio lenta, quam vera dyspnoea.

Respiratio celeris.

Haec semiotico respectu respirationi frequenti est similis, nam semper significat impeditam circulationem liberam in pulmonibus, et statum irritativum in iisdem. — Difficilis et celeris fit respiratio sub aestu magno, sub validis corporis et animi commotionibus, plethora notabili, congestionibus ad pulmones; sub spasmo, phlogosi et degeneratione tracheae, bronchiorum et pulmonum, tuberculis, hepatisatione, suppuratione, paralysi pulmonum, concretionibus pleurae. — Respiratio celeris et laboriosa observatur in vitiis cordis, nominatim in inflammatione aut dilatatione cordis et aor-

tae. — Repente intrans respiratio celeris, in febribus gravioribus, convulsiones universales praecedere solet.

Respiratio debilis.

Comitatur debilitatem organorum respirationi dicatorum totiusque corporis. — Maxime explicata est in animi deliquio et asphyxia. Valde debilis respiratio obvenit in individuis morbis lienis laborantibus, et gravi febri nervosa aegre decumbentibus. — Respiratio debilis, in morbis chronicis, lethalem exitum indicat.

Respiratio difficilis (Dyspnoea).

Sub hac intelligitur generatim omnis aberratio a respiratione normali; hic autem consideratur gradus intentionis quo haec peragitur, sensationesque plus minus inamoenae, quae eam plerumque comitantur, uti: anxietas, dolor, symptomata turbatae circulationis, cardiopalmus, pulsus intermittens. —

Dyspnoea perstans aut levissima causa comparens, juncta cum profunde inspirandi impotentia, aut impossibilitate animam diutius retinendi, nomine asthmatis insignitur; maximus autem gradus dyspnoeae, ubi momentanee respirium plane inhibitum est, apnoea vocatur.

Transitoria, signis alicujus localis affectionis non concomitata dyspnoea oritur ex absentia aëris respirabilis, et post omnem majorem intentionem organorum respiratoriorum; ideo per moram in valde rarefacta, calida, aut fumo, pulveribus, irrespirabilibus gazibus inquinata athmosphaera, per validas animi aut corporis commotiones, nominatim per timorem, iram, amorem, per longius continuatam ascensionem scalarum, montium, per loquelam, cantum, clamorem, tussim diuturnam etc. Haec dyspnoea eo facilius oritur, quo

debilioribus et irritabilioribus organis respiratoriis individuum aliquod praeditum sit, quo imperfectius haec functionem absolvant, quo facilius congestiones aut spasmi in illis comparent. Enervati, plethorici, pingues, penuria aut prava sanguinis mixtione laborantes, nominatim scorbutici, chloroticae et omnes asthmatici, levissimam ob intentionem, dyspnoea, anxietate et cardiopalmo juncta corripiuntur. — Similis dyspnoea, cum dolore et sensatione clara impedimenti localis copulata, oritur ex inhibito aëris meatu libero per organa respiratoria; talia impedimenta sunt: tumores in cavo oris, obturatio narium, polypi narium et faucium, angina, intumescentia glandularum oris, colli; tumor linguae, uvulae; inflammatio glandulae thyreoideae, thymi; luxatio aut fractura ossis hyeoidei; indurationes oesophagi; corpora peregrina, collectio muci, suppuratio in larynge, trachea; phthisis trachealis et laryngea; pleuritis, pneumonia; hepatisatio, tuberculi, emphysema, oedema, paralysis pulmonum; desorganisationes thoracis; passiones dolorificae, phlogisticae, rheumaticae aut spasticae musculorum respiratoriorum; hernia diaphragmatis; inflammatio aut hypertrophia organorum abdominalium superiorum; tumores abdominis; accumulatio faecum in colo transverso, oppletio ventriculi, tympanitis, graviditas, tumor ovariorum etc. — Cum vehementi cardiopalmo, remittente pulsu et statu apnoeico, ex levissimo motu, juncta dyspnoea, ita, ut aeger repente consistere debeat, penes hoc autem profunde inspirare et continuo loqui possit, cum e contra sub quiete respiratio libera concessa sit, ad morbos cordis conclusionem admittit; uti: ad spasmum, inflammationem aut dilatationem ejus vel aortae, vitia valvularum, ossificationem etc. Si similis dyspnoea lente oritur, aequali passu increscit et demum perdurat, cor primarie haud patitur, sed tumores aut effusiones in cavo thoracis praesentes

erunt. — Dyspnoea eo periculosior est, quo magis ab affectionibus organorum respiratoriorum dependet, minoris vero momenti erit, si a debilitate aut ab influxibus externis transitoriis originem ducit. — Dyspnoea post laesiones thoracis, praesentiam aëris, sanguinis, aut corporum peregrinorum designat. Si repente post laesionem intrat, effectus terroris vehementis esse potest; si vero lente subsequitur, situs in latere sano impossibilis, in vulnerato autem magis conceditur, effusio sanguinis aderit.

In morbis febrilibus dyspnoea fere nunquam optatum est symptoma, licet saepius observatum fuerit, quod introitum crisium praecedere soleat, praecipue si hae cum expectoratione incedunt. — Post morsum canis rabidi incipientem hydrophobiam declarat. — In hystericis et hypochondriacis non magni momenti est. — Dyspnoea sub catarrho designat compassionem membranae muciparae bronchiorum, et quo respiratio difficilior est, eo profundius affectio in pulmones descendit, nunquam autem est magnae significationis, quia plerumque transitoria esse solet.

Dyspnoea neonatorum potest esse signum partus praematuri, congestionis (cum profundo caerulescente rubore), penuriae sanguinis (cum facie pallida) obturationis viarum respiratoriarum muco, debilitatis pulmonum, perpessae magnae pressionis sub partu, praematurae obliterationis foraminis ovalis aut ductus Botalli; consuetim aeque observatur in rhachiticis, scrophulosis, verminosis et atrophicis infantibus. — Respiratio valde difficilis et anxia est signum stadii ultimi hydrocephali acuti. — Maximum gradum attingit sub angina membranacea, et sub inflammationibus organorum abdominalium. — Laboriosa et incompleta inspiratio cum celeri strepituosa expulsione aëris et valida pectoris commotione, qualis in solitariis nocturnis insultibus obvenit, asthma Millari designat. — Dyspnoea

pertinet ad symptomata febris in infantibus. — Periodica respiratio difficilis designat, aut periodice recurrentes influxus externos eam provocantes, aut si tales non inveniuntur, nevropathiam aut turbas alias in organis respiratoriis. — Regulariter intrans, cum valida et sicca tussi juncta dyspnoea, ut larva febris intermittentis non raro visa fuit.

Respiratio facilis.

Generatim in morbis omnibus, praecipue autem in iis pectoris optata est apparitio, quia leviorem gradum designat. — Lentus transitus dyspnoeae in respirationem facilem faustum morbi exitum promittit; repentinus autem transitus absque evacuationibus criticis et remissione ceterorum morbi symptomatum, infaustis adnumerandum signis. — Inopinate, absque causa et absque signis decrementum morbi manifestantibus intrans respiratio facilis in morbis abdominis, ubi prius dyspnoea aderat, laethalem exitum vaticinatur. — Subito comparens respirium facile in hydrothorace, nisi ab evacuatione aut resorptione originem trahat, incipientem paralysim pulmonum designat, si autem cum conscientiae abolitione junctum est, immediate mortem antecedit.

Respiratio fortis.

Donec nimium gradum non attingit est signum status sani organorum respiratoriorum. — Respiratio fortis oriri potest a congestione, a multa vociferatione, cantu, clamore etc. — Laboriosa, cum sensu impedimentum superandi juncta respiratio moderate fortis, est signum coarctationis aut ulcerum bronchiorum, introitus corporum minorum in tracheam. Talis respiratio observatur aeque sub insultibus asthmatis abdominalis et humidi,

et in omnibus casibus, ubi respiratio difficilior ast non dolorosa est.

Respiratio frequens.

Est signum celerioris sanguinis circulationis, majoris impulsus ejus in pulmones, aut inopiae sanguinis, susceptionis minoris quantitatis oxygenii, praesentis irritationis, aut impedimenti in pulmonibus et systemate vasorum. —

Respiratio frequens itaque observatur in plethoricis, sanguinei temperamenti hominibus, pueris, aestate in athmosphaera oxygenio spoliata, aucta corporis temperatura, graviori corporis intentione, sub cantu, diutius continuata loquela, animi commotionibus, febri; post usum substantiarum calefacientium, spirituosarum, narcoticarum, nominatim post applicationem belladonnae majoribus dosibus, et sub ligatione fortiori corporis; praeterea in pleuritide, pneumonia, hepatisatione, suppuratione, tuberculis, si corpora peregrina, tumores, collectiones fluidae aut aëriformes organa respiratoria premunt; si morbi cordis praesto sunt; si ventriculus oppletus, flatulentia et intumescentia organorum abdominalium superiorum motum liberum diaphragmatis impediunt. — Summe dolorosa, parva, fere tantum costis peracta respiratio frequens, characterisat diaphragmitidem. — Diversis sensationibus inamoenis in praecordiis, absque affectione pectoris, juncta respiratio frequens, est plerumque sequela coarctationis cavi pectoris, ex incompleta mobilitate diaphragmatis, quae ab inflammatione organorum abdominalium, sordibus gastricis accumulatis, helminthiasi, ascite, provecta graviditate dependere solet. — Respiratio valde frequens, parva, brevis, est signum magnae debilitatis et instantis mortis. — Respiratio frequens in morbis febrilibus est naturalis a celeriori circulatione sanguinis

dependens apparitio, et eo minoris momenti, quo magis cum circulatione in aequali consensu existit. — Valde frequens respiratio semper periculum indicat. — Respiratio frequens magna designat quidem velociorem circulationem, insimul autem libertatem organorum respiratoriorum et circulatoriorum. — Respiratio frequens apud infantes est tutissimum symptoma febris, et multo majoris valoris quam pulsus.

Respiratio inaequalis,

(tam quoad rhythmum, tam quoad fortitudinem singularum inspirationum) est apparitio infausta, quum impedimenta in organis respiratoriis et lapsum virium declaret. — Transitoria respiratio inaequalis potest esse effectus fletus, curae, aut qualiscunque animi commotionis; obvenit sub insultibus spasticis universalibus, aut brevi post eos, in frigore febrili, praecipue dum in aestum transire vult; sub validis exacerbationibus febrilibus; nonnunquam ante introitum crisium. — Inaequalis respiratio, ubi unam inspirationem profundam post longius tempus alia excipit, annunciat saepe deliria cum convulsionibus, quod praecipue in febribus cephalicis observatur. — Perdurans respiratio inaequalis potest ab erronea structura thoracis, aut ab inveteratis malis organorum pectoris aut abdominis dependere, et tunc non magni momenti esse. — Cum stertore et rhoncho non juncta respiratio inaequalis in apoplecticis, indicat apoplexiam nervosam.

Respiratio inaequalis lenta infantum pertinet ad symptomata hydrocephali; frequens, celeris, inaequalis, ad ea inflammationum pectoris.

Respiratio intermittens,

ubi singulae inspirationes plane non subsequuntur, est maximus gradus respirationis inaequalis.

Transitoria respiratio intermittens in adultis potest esse sequela magnae mentis intentionis, et valde intentae attentionis, vehementium animi commotionum, terroris, anxietatis. — Respiratio intermittens in aegris ominosum est symptoma. — Associat se libenter delirio mortem immediate praecedenti, et si alia signa infausta insimul non adsunt, adminus ad incrementum periculi concludere sinit. — Ultimi respirii immediatus praecursor est. —

Respiratio intermittens apud infantes non raro est antecessor eklampsiae, et symptoma hydrocephali acuti.

Respiratio interrupta.

Inspiratio hic pluribus interceptionibus peragitur. — Est communis eventus sub fletu et singultu, sed non raro etiam signum doloris sub inspiratione. — Respiratio interrupta observatur aeque in rheumatismo acuto musculorum pectoralium et diaphragmatis, in pleuritide et pneumonia; est praeterea in morbis acutis saepe praecursor convulsionum, delirii et ipsius mortis. —

Respiratio magna.

Aequalis et ampla extensio cavi thoracis, cum quieta et simul perfecta ejus contractione. — Designat thoracem bene conformatum, statum normalem organorum respiratoriorum, sicut et liberam circulationem. — Respiratio in aëre libero, praecipue in montibus, fit magna. — Respiratio magna cum normali frequentia optatum est signum in aegrotis, et non raro in stadio

decrementi morborum crises instantes designat. — Insolite lenta et magna respiratio indicat anomaliam circulationis in cerebro, et cohibitum influxum nervorum in processum respirationis. Ideo observatur in gravibus affectionibus cerebri, pressione ejusdem, encephalitide, apoplexia, sopore, delirio, convulsionibus. — Lenta et magna respiratio in febribus nervosis et phlogosibus declarat influxum nervorum vehementer turbatum et annunciat mortem non infrequenter. —

Respiratio normalis.

Haec quiete, aequaliter, facile, absque dolore et strepitu peragitur, circiter intra tertium, quartum aut quintum pulsus ictum repetitur. — Est symptoma optatum in aegris, quia respiratio normalis etiam circulationem normalem supponit. — Respiratio normalis cum cetera valetudine in contradictione existens, et meris signis ominosis conjuncta, ad magnum periculum conclusionem facere jubet. — Respiratio normalis, tantum sub situ horizontali et valida commotione turbata in hydrothorace, ostendit morbum simplicem, primitivum, absque vitiis organicis incedentem.

Respiratio parva

cum exigua thoracis dilatatione obvenit in dormientibus; sub deprimentibus animi affectionibus, profunda meditatione, magna exhaustione, nominatim in valida pulmonum debilitate. — Respiratio frequens parva potest esse effectus compressionis ope thoraculi, spasmorum, paralyseos, desorganisationis pulmonum aut pleurae, per quae normalis extensio pulmonum inhibita est, inpermeabilitatis magnae partis eorum, ob inflammationem, hepatisationem, suppurationem, tuberculos; praeterea coarctationis et inflammationis via-

rum respiratoriarum, effusionum aut tumorum in thoracis cavo, herniae, diaphragmatis etc. — Respiratio frequens parva est characteristicum symptoma in insultibus spasticis, ast absque magna significatione. — Respiratio valde frequens, celeris, parva, frigida, cum rhoncho juncta, gangraenam organorum respiratoriorum insignit. — Si jam prius parva respiratio frequens fit, mors instat. — Inspiratio parva, subsequa exspiratione magna aut vice versa exitum lethalem indicat. — Respiratio parva post laesiones thoracis, effusionis sanguinis aut introitus aëris in cavum ejus est sequela. —

Respiratio parva apud infantes absque symptomate aliquo pectorali hydrocephalum acutum designat.

Respiratio profunda.

Similis est respirationi magnae, sed hic praecipue inspiratio consideratur. — Si absque molestia peragitur, absentiam impedimentorum in viis respiratoriis designat, et hac ratione in omnibus casibus faustum est indicium. — Respiratio profunda comitatur moram in aëre libero, puro montano, levamen dolorum, cessantem anxietatem, animi commotiones; obvenit praeterea post evacuationes, sub somno aut post evigilationem. — Excitantes animi motus, affectus diversi, sed et meditatio provocant respirationem profundam. — Aliquot profundis inspirationibus finiuntur spasmorum paroxysmi. — In affectionibus cerebri, nominatim si pressio, inflammatio, apoplexia, laesiones graves capitis, et validae febres nervosae adsunt, inspiratio profunda infausta est apparitio, ex insolite profunda inspiratione hic nonnunquam ad magnitudinem periculi concludimus.

Respiratio rara.

Majus intervallum inter in- et exspirationem, ideo in dato tempore pauciores in- et exspirationes. — In-

dicat generatim inturbatam functionem respirationis. — Dormientes rarius respirant quam vigilantes, adulti rarius quam infantes, robusti, sani rarius quam debiles, aegri. — Insolite rara, quasi pro momento cessans et dein cum suspirio iterum incipiens respiratio observatur frequenter in amantibus, et coitum celebrare volentibus. — Respiratio rara et alta designat exhaustionem, et stases in circulo. — Strepens, stertorosa, cum respiratione alta juncta respiratio rara est symptoma turbati influxus nervei in processum respiratorium, progredientis a gravibus affectionibus cerebri, encephalitide, pressione cerebri, laesionibus capitis, apoplecticis et soporosis statubus, febribus nervosis, intoxicationibus narcoticis; saepe animi deliquium, delirium, sopor, mors sunt horum sequelae. — Valde debilis, vix perceptibili elevatione thoracis peracta rara respiratio indicat cohibitum fluxum sanguinis ad pulmones, et magnum gradum exhaustionis, comitatur igitur magnum sanguinis deperdium, animi deliquium, insultus graves hystericos, catalepsim et asphyxiam. — Summe dolorifica et rara est respiratio in pleuritide. — Respiratio rara in aegrotis, quousque cetera symptomata nihil mali ostendunt, et quousque magnum gradum non attingit, faustum est signum, declarat enim functionem organorum respiratoriorum non esse impeditam. — Valde rara respiratio semper est signum magnae exhaustionis. — Respiratio rara, magna, cum delirio murmurante post laesiones capitis, in soporosis, apoplecticis mortem praecedere solet. Hoc praeprimis in apoplecticis tunc contingit, si haec apparitio diutius, quam per aliquot minuta post perpessum insultum durat.

Respiratio sibilans.

Est signum coarctationis viarum respiratoriarum. — Observatur itaque frequenter sub validis laryngis et

pharyngis spasmis, ubi non raro praecursor delirii est; praeterea si corpora peregrina in viis respiratoriis haerent, si inflammationes, exsudata, ulcerationes, polypi in his obveniunt, si a vicinis tumoribus comprimuntur, si vitia cordis adsunt. — Respiratio frequens et sibilans sine aliâ incommoditate, aliquem exiguum gradum asthmatis si excipis, est symptoma primi stadii phthiseos pulmonalis. —

Maximam attentionem meretur respiratio sibilans in infantibus, quia signum incipientis anginae membranaceae esse solet.

Respiratio sonora.

Nisi a consuetudine aut impatientia aegri dependeat, semper impeditam respirationem et circulationem designat. — Transitoria respiratio sonora oritur nonnunquam a situ incommodo, spasmis, aut obstructionibus, in quo casu mutatus situs, cessantes spasmi, et applicatum enema apparens periculum minuunt. — Respiratio sonora libenter se associat passionibus laryngis, tracheae, bronchiorum, sed et morbis pulmonum aut cordis, sive hi phlogisticam sive spasticam naturam habeant; sive in vitiis organicis fundati sint. — Respiratio sonora semper periculosum est symptoma, praecipue in morbis acutis, nisi una aut alia supra nominata causa levior sublateat, quia non raro paralysim pulmonum praecedit.

Respiratio stertorosa

consistit in motu tremulo veli palatini sub inspiratione. — Observatur frequenter sub somno in hominibus sanis, praecipue in pinguibus et senibus. — Communiter indicat obturationem narium, exsiccationem cavi oris, accumulationem muci in faucibus, tumorem palati et tonsillarum etc. Sic quoque obvenit in hominibus struma

praeditis. Praeter haec non raro ut symptoma status paralytici laryngis et palati occurrit, pertinet itaque ad comites intoxicationum narcoticarum, apoplexiae sanguineae, status soporosi et lethargici, pressionis cerebri, et maximi gradus debilitatis; sub omnibus his circumstantiis, nominatim etiam in febribus adynamicis, in inflammationibus praecipue pulmonum est symptoma ingratum et mortem praesagiens.

Respiratio strepens.

Est signum phthiseos trachealis sine compassione laryngis, transitus hepatisationis in suppurationem, effusionum in cavo thoracis, incipientis apnoeae, et ideo semper infaustae significationis.

Respiratio stridens.

Oritur a coarctatione viarum respiratoriarum, ideo observatur tunc; si corpora peregrina eas penetrarunt; obvenit quoque in laryngitide, in angina membranacea, et phthisi laryngea (praecipue si sub inspiratione aut post tussim observatur) et in bronchitide chronica.

Respiratio sublimis.

Sub exspiratione non rite compressus thorax, sub inspiratione vehementi nisu elevatur, ita ut sternum, scapulae, costae, alae narium, et saepe abdomen fortiter commoveantur, et tamen major quantitas aëris non inspiretur. — Talis respiratio semper est signum notabilioris dyspnoeae, retardatae circulationis in pulmonibus, vitiorum cordis et pulmonum altioris gradus, desorganisationis thoracis, validorum insultuum spasticorum, sed et notabilis debilitatis et instantis mortis. — In omnibus his casibus ut symptoma periculosum con-

sideranda est talis respiratio, quia facillime in apnoeam transit. — Respiratio sublimis absque omni motu diaphragmatis aut musculorum abdominalium peracta, indicat sedem morbi esse in abdomine, et characterisat praecipue diaphragmitidem; praeterea designat intoxicationem cum acris plantarum, statum saburralem, meteorismum, tympanitidem, oppletionem intestinorum faecibus, ascitem, intumescentiam hepatis et lienis. — Similis respiratio juncta cum apnoea comitatur notabiles effusiones in thorace, hypertrophiam cordis et hydrocardiam.

Respiratio tarda, lenta,

ubi singulae inspirationes notabiliter retardantur, observatur in phlegmaticis, melancholicis, dormientibus, valde debilitatis, saepe etiam in hominibus spasticis affectionibus laborantibus. — Suspiriosa respiratio tarda significat congestiones sanguinis in pulmonibus. — Respiratio lenta magna, impeditam functionem pulmonum ob affectiones cerebri et intoxicationem cum cicuta, aut cum aliis substantiis narcoticis, apoplexiam, soporem, convulsiones, deliria causas agnoscere potest. — Valde difficilis et tarda respiratio saepe obvenit in insultibus asthmaticis. — Notabilis lenta inspiratio cum exspiratione brevi observatur in individuis summopere exhaustis et agonizantibus. — Respiratio lenta in genere, si magnum gradum non attingit, infaustum symptoma non est, cum adminus ad absentiam impedimentorum in organis respiratoriis conclusionem facere sinit. Si autem valde lenta evadit, pulsus insimul debilis et parvus, extremitates frigidae observantur, lapsum virium notabilem demonstrat. — Respiratio lenta in hystericis, etiam cum apparenter periculosis symptomatibus aliis, plerumque periculi expers est. — Eminenter inaequalis respiratio lenta in infantibus valide febrientibus est

symptoma hydrocephali acuti, et praeprimis ultimi stadii ejusdem; obvenit autem aeque non raro in febri verminosa, cum symptomatica affectione cerebri. — Valde difficilis, sibilans respiratio lenta, cum diversis symptomatibus catarrhalibus, nonnunquam anginam membranaceam praecedit.

Respiratio unilateralis,

Ubi alterutra pars thoracis sub respirationis actu levatur, observatur in pneumonia, pleuritide, collectione sanguinis, puris, seri in cavo thoracis partis immobilis. — Pariter hepatitide laborantes, sinistra tantum thoracis parte respirant. —

Anhelitus.

Respiratio valde laboriosa, ita ut aër peculiari sono intret et exeat. Est plerumque effectus eorum momentorum, quae accelerationem respirationis provocant; ideo transitorius observatur post validas corporis et nominatim pulmonum intentiones, in validis congestionibus pulmonum; communiter vero tunc intrat, si major quantitas sanguinis ad pulmones vehitur, aut si normalis aditus aëris ad eos inhibitus est, aut si magna pars respirare jam impos est. — Anhelitus pertinet itaque ad symptomata aestus febrilis, vehementis pneumoniae nothae, acutae et chronicae inflammationis viarum respiratoriarum, praeprimis bronchiorum; praeterea est signum diversarum desorganisationum pulmonum, compressionis eorum per tumores, effusiones in cavo thoracis, diversarum formarum asthmatis, et morborum cordis. Est aeque non raro sequela notabilis exhaustionis, et tunc si transitorius non est, ominosum symptoma esse solet, quia lubenter paralysis pulmonum subsequitur. — Si anhelitus immediate infra sternum

auditur, summa cum probabilitate ad bronchitidem chronicam aut acutam concludendum erit. — Anhelitus nonnunquam est praecursor ptyalismi critici.

Fletus.

Potest esse productum moeroris, imaginationum tristium, imo etiam laetitiae; provocatur autem vel saepissime per dolores. — Ab exigua aut saepe absque perceptibili causa provocatus fletus, designat sensilitatem et debilitatem systematis nervosi. — Magnus nisus ad fletum in febrientibus, est symptoma non optatum. — Involuntarius et inscius fletus in connubio cum aliis apparationibus infaustis periculum declarat; non raro autem praecurrit epistaxim criticam. — Si aegri in febribus malignis continuo flent, tristitiam celare cupiunt et adhuc madidis oculis se lacrymas fudisse negant, paralysis totius systematis nervosi instat.

Fletus infantum communiter est symptoma doloris. Saepe qua causa sublatet colica, pressio vestium angustarum, sitis, fames. — Regulariter intrans fletus pusionum cum contorsione faciei si tussiunt, aut commoventur, pertinet ad symptomata inflammationis organorum pectoralium. — Minus clarus, dolore quasi interceptus fletus obvenit in infantibus hepatitide laborantibus. — Fletus frequens cum notabili sursumtractione superciliorum est signum incipientis hydrocephali.

Oscitatio.

Designat pigritiam, somnolentiam, taedium, opletionem ventriculi cibis, famem; potest vero etiam a transitu in valde calidam aut frigidam temperaturam, aut a conspectu oscitantium aliorum dependere, aut sequela esse validae intentionis, profusarum excretionum, plethorae, graviditatis, notabilium menstruationis turba-

rum; est nonnunquam praecursor frigoris febrilis, praecipue in febribus intermittentibus, menstruationis, fluxus haemorrhoidalis, aut aliarum haemorrhagiarum, vomitus, animi deliquii, insultus asthmatici, epileptici, hypochondriaci, hysterici etc. — Frequens, valida, cum tensione artuum et fletu juncta oscitatio, non infrequens est praecessor febrium catarrhalium et exanthematicarum. — Periodica oscitatio pertinet saepe ad larvas febris intermittentis. — Post minimam intentionem pulmonum per loquelam aut corporis motum comparens repetita oscitatio est symptoma plethorae, congestionum ad pulmones, debilitatis eorum, indurationum, tuberculorum, vomicarum in iis, asthmatis pituitosi. — Oscitatio cum capite tentato, pigritia et rubore faciei juncta, designat congestiones ad encephalon, et praecedit nonnunquam apoplexiam. — Oscitatio post haemorrhagias, cum repetitis animi deliquiis juncta, est ominosum, magnam debilitatem manifestans symptoma; sic quoque post validas diarrhoeas. — Oscitatio frequens puerperarum partum gravem sperare sinit, quum valde debilitatas aut suppressas vires designet; saepe ominosas convulsiones et metrorrhagias praecedit.

Rhonchus.

Oritur ab accumulatione majoris quantitatis muci, aut aliarum fluidarum materiarum in viis respiratoriis vel cellulis aëreis, quae per intrantem et exeuntem aërem commoventur et sic peculiarem strepitum causant. Est itaque symptoma consuetum catarrhi bronchialis et pulmonalis, sicut et verae bronchitidis, in quibus morbis plerumque sub stadio cruditatis maximum attingit gradum, et cum incipiente expectoratione libera minuitur, tandem plane cessat. — Sic quoque in anginis faucium, praecipue si prope laryngem sedem habent, et magna iutumescentia junctae sunt,

est communis, periculi expers apparitio. — Praeterea potest esse effectus intrantium corporum peregrinorum in vias respiratorias, fracturae laryngis aut singularum cartilaginum tracheae, validae compressionis, vel effusionis sanguinis aut puris in vias respiratorias aut pulmones, exsudationis lymphae plasticae in membrana mucipara, uti in angina membranacea; asthmatis pituitosi, oedematis pulmonum, pleuritidis et pneumoniae, phthiseos trachealis et pulmonalis. — Porro ejus apparitio non raro symptoma est inhibiti influxus nervei in organa respiratoria, et ideo signum majoris gradus ebrietatis, intoxicationis narcoticae, status apoplectici et soporosi, pressionis cerebri, validae exhaustionis, instantis paralysis et gangraenosae destructionis orgaganorum respiratoriorum; apnoeae. — Tandem pertinet singularis quaedam forma ejus ad comites morborum cordis et aortae pectoralis.

Rhonchus facilis in pectore aut in regione laryngis, sine aut cum exigua respirationis molestia observandus, est symptoma auctae muci secretionis in viis respiratoriis, catarrhi, bronchitidis; sed sub circumstantiis nominatis absque magna significatione. — Facilis, praecipue sub finem loquelae intrans rhonchus in collo, observatur in phthisi tracheali, si larynx in compassionem tractus non est. — Rhonchus debilis et fistulans in regione laryngis absente morbo in viis respiratoriis obvenit non raro in morbis cordis, praecipue partis sinistrae et aortae pectoralis. — Fortis, valde difficili, saepe tantum ante- aut retroflexo capite possibili, irregulari respiratione junctus ronchus est signum exsudationis, praecipue membranosae in viis respiratoriis, introitus corporum peregrinorum in eas, fracturae cartilaginum laryngis, notabilis compressionis laryngis, tracheae et bronchiorum, spasmi in his organis. — Cum tarda, magna, saepe autem irregulari respiratione et sopore junctus rhonchus, est

symptoma eminens pressionis cerebri. — Vehemens, continuo increscens, valde celeri, parva, laboriosa, irregulari, intermittente respiratione, et omnibus signis exhaustionis concomitatus rhonchus, indicat imminentem aut jam praesentem paralysim pulmonum. — Si in angina membranacea respiratio fistulans cessat, loco illius rhonchus intrat, dummodo reliquae apparitiones aeque faustae sunt et respiratio liberior evadit, bonus morbi exitus sperandus est; si vero absque emelioratione ceterorum symptomatum morbosorum comparet, paralysim et mortem praecedit. — Continuus aliquis rhonchus non vehemens in angina membranacea compassionem laryngis et tracheae designat. — Rhonchus in morbis inflammatoriis praecipue pulmonum et pleurae, quousque caetera symptomata periculosa non sunt, non est magni momenti; sed si valida exhaustio et notabilis turba in respiratione ei juncta est, plerumque paralysim aut gangraenam partium adfectarum declarat, et ideo ut praecursor mortis considerandus est. —

Rhonchus infantum causam saepe agnoscit impotentiam mucum in bronchiis accumulatum ejiciendi, et ideo non raro in sanis et robustis, sicut in debilibus individuis, per annos absque periculo perdurare potest. — Exiguus ronchus in superiore parte colli, cum vel sine dyspnoea sub dentitione absque periculo occurrit.

Risus

consistit in peculiari, hilaritatem exprimente commotione musculorum faciei, praecipue circa os et oculos. — Est autem signum laetitiae et hilaris dispositionis, saepe tamen fallens, quum simulatio, moeror aut cavillatio sublatere possit. — Physiognomia continuo ridens designat hilarem sed et cavillantem animum, occurrit praecipue in individuis sanguinei tem-

peramenti; pertinet autem etiam ad characteristica amentiae et cretinismi symptomata. — Non ab animi dispositione dependens, inscie et nominatim sub somno aut mentis absentia comparens risus in aegris, quatenus effectus somnii amoeni non est, obvenit qua symptoma status spastici levioris, et idiopathici vel consensualis irritationis cerebri, in encephalitide, digestionis turbis, statu verminoso; obvenit porro ante eruptionem aut in anomala evolutione exanthematum acutorum, saepe etiam in neuropathiis, in hypochondriasi, hysteria, scelotirbe, epilepsia, tandem etiam in febribus nervosis et phthisibus. — Risus in delirantibus designat aut amoena phantasiae ludibria, uti in valde debilitatis aut morti proximis aegris, aut nostalgicis occurrunt, aut spasticae est naturae.

Risus infantum. Prima indicia veri risus comparent circa finem sextae vitae septimanae. — Prius comparens aut et tardius praecipue sub somno visibilis risui similis commotio musculorum faciei, fere semper est signum irritationis cerebri ob digestionis turbas, colicam, acida, flatulentiam, helminthiasim etc., in quo casu infantes communiter cito expergefiunt et vehemens fletus subsequitur; nonnunquam praecurrit convulsiones et encephalitidem. Frequentissime observatur absque periculo sub dentitione. — Fere involuntarius risus in adultioribus pertinet ad indicia et comites choreae, sed et amentiam designare potest.

Cachinnus est spasmo similis cito se repetens contractio diaphragmatis et ceterorum musculorum respirationi dicatorum, juncta cum extrusione sonora aëris e pulmonibus et characteristica musculorum faciei commotione. — In statu sano est signum et effectus hilaritatis, imaginationum ridiculosarum, non raro cavillationis et desperationis, — Sed et frequenter cachinnus in morbis observatur, et tunc semper aut spasmum, aut statum irritativum cerebri vel systema-

tis nervosi indicat. Ideo nisus continuo ridendi, etiam sub seriis circumstantiis, infallibile symptoma est semet evolventis debilitatis nervosae, aut incipientis morbi psychici. — Consensualis observatur cachinnus non raro in morbis organorum digestionis, nominatim lienis; in helminthiasi, diaphragmitide, epilepsia, chorea, hypochondriasi, hysteria.

Screatus.

Semper designat irritationem in faucibus aut viis respiratoriis, quam per eum amovere conamur, et si hoc possibile non est, in tussim mutatur. — Est itaque signum praesentiae corporum peregrinorum, affectionis inflammatoriae, accumulationis muci, intumescentiae in viis respiratoriis etc.

Singultus,

cujus causa proxima repentina contractio spastica diaphragmatis est, provocari potest a diversis causis, quae, sicut et concomitantia cetera symptomata significationem ejus determinant. — Transitorius observatur saepe post celeriter interruptam inspirationem sub pastu, si offa major non bene masticata deglutitur, si ventriculus oppletus est, post potum frigidum, post refrigerationem omnem, praecipue extremitatum inferiorum, post vomitum et omne dispendium majus humorum. — Saepe autem, praecipue si vehemens et continuus fit, est symptoma turbatae digestionis, status pituitosi, verminosi, flatulentiae, infarctuum, plethorae abdominalis, repentinae suppressionis exanthematum, sudorum localium, menstruationis, fluxus haemorrhoidalis, hypochondriae, hysteriae et aliarum neurosium, passionis nervi vagi, aphtarum, cardialgiae, colicae, praecipue colicae saturninae, intoxica-

tionis cum substantiis acribus et causticis, morbi cerealis, cholerae, inflammationis ventriculi, diaphragmatis, omenti, peritonei, pleurae, intestinorum, hepatis, lienis, uteri; gangraenosae destructionis partium internarum, herniarum incarceratarum, ilei, calculorum renalium, effusionis urinae, puris, sanguinis in cavum abdominis, penetrantium vulnerum abdominis, si simul diaphragma laesum est, fracturae aut luxationis costarum infimarum, commotionis cerebri; occurrit quoque post operationes dolorificas, post partum gravem, et tandem ex exhaustione universali, in quibus casibus certus mortis index est. — Transitorius singultus absque dolore non magni momenti est. — Singultus vehemens post evacuationes profusas est ominosa apparitio. — Singultus in cholera sub imminutione excretionum characteristicarum est indicium instantis stadii typhosi, et si valde vehemens non est, pro symptomate non tam periculoso habendus.

Sternutatio

voluntarie per irritationem mechanicam membranae muciparae narium produci potest. Involuntarie frequenter occurrit post inspirationem aëris pulveribus aut fumo inquinati, post introitum corporum peregrinorum in cavum narium, sub congestione sanguinis versus encephalon et membranam muciparam narium. — Sternutatio est constans praecursor et comes coryzae, ita ut etiam profani ex frequentiori sternutatione eam praedicent. — Sic et plerumque exanthemata acuta, nominatim morbillos, scarlatinam et variolas antecedit, obvenit tamen etiam in aliis morbis catarrhalibus, in inflammationibus oculorum et organorum lacrymalium, faucium, aurium, nominatim cavitatis tympani et turbae Eustachii, viarum respiratoriarum et membranae mucosae pulmonum. — Non minus frequenter obser-

vatur in tuberculosi, sub evolutione morborum cordis in statu saburrali, pituitoso, verminoso, infarctu, inflammatione organorum abdominalium, imo et renum. — Sternutatio in aegris absolute infaustum symptoma non est, quum adhuc laudabilem statum virium significet, et non raro epistaxim levantem, aut excretiones criticas alias praecedere soleat. — Nonnunquam vehemens per sternutationem provocata commotio salutaris est, nam per eam corpora peregrina aut mucus accumulatus expelluntur. — Sic etiam sub menstruatione parca, insufficientibus doloribus ad partum, et vehementi singultu salutaris visa fuit, nam priores augebantur, posterior cito cessavit. — Ex alia parte autem vehemens sternutatio usque ad convulsiones augeri potest, aut valida commotio ei juncta apoplexiam, haemoptoën, metrorrhagiam, rupturam aneurysmatum aut varicum, partum praematurum, prolapsus etc. provocare potest. — Sternutatio in febribus nervosis optatum est signum, nam nunquam ante recessum symptomatum nervosorum intrat. — Generatim sternutatio in aegris morti proximis non observatur.

Suspirium.

Occurrit sub animo depresso et anxio, itaque in hypochondriacis, melancholicis, vesanis. — Ex alia parte autem organicae originis esse potest, et quidem turbatam circulationem sanguinis in pulmonibus causam agnoscere poterit. Observatur itaque frequenter ut comes plethorae verae et spuriae, validarum congestionum in pulmonibus, frigoris febrilis, animi deliquii, spasmorum, inflammationum, hepatisationis, tuberculoseos, effusionum aut tumorum pulmones comprimentium. Ex eadem causa associat se libenter morbis cordis, et organorum abdominalium; occurrit quoque in oppletione ventriculi, obstructione, infarctu, inflamma-

tione et intumescentia hepatis, lienis, in morbis ventriculi et intestinorum, in quibus secretio muci et digestio turbata est. — Tandem non raro symptoma est affectionum spasticarum, quae respirationem turbant, aut incompletae activitatis pulmonum ex locali aut universali debilitate, uti ante animi deliquium, in nervosis, adynamicis febribus, post deperditionem humorum, in scorbuticis, chloroticis, uno verbo in cachecticis. — Suspirium frequens in febrientibus indicat validas congestiones ad encephalon et pulmones, incipiens frigus febrile, instantem pneumoniam, encephalitidem, meningitidem; praecedit quoque deliria, soporem, convulsiones. — Suspirium frequens, involuntarium dormientium, delirantium, febrientium semper mali ominis est, et non raro symptoma maximi periculi, quia magnam intensitatem causarum suspirium excitantium declarat. — Suspirium frequens in febribus exanthematicis saepe metastases periculosas antecedit. — Continuum suspirium involuntarium pertinet ad symptomata incipientis hydrophobiae. — Repetitum suspirium involuntarium in hypochondriacis et hystericis novum insultum annuntiat. —

Frequens suspirium profundum infantum nonnunquam convulsiones praecedit, sed et non raro sub encephalitide et exsudationibus in cavo cranii observatur.

Tussis

consistit in una aut pluribus cito se excipientibus, vehementibus, singulari sono junctis exspirationibus, cujus causa proxima in praecedente inspiratione turbata invenitur.

Tussis tanti momenti objectum est, ut, si rite describeretur, integram dissertationem expleret. — Hic aut eam fusius tractare, tempus et spatium deficit.

Adnotasse sufficiat sequentes dari tussis modificationes:

Tussim argutam.
„ brevem, tussiculam.
„ chronicam.
„ dolorosam.
„ gravem.
„ latrantem.
„ periodicam.
„ raucam.
„ resonantem.
„ sibilantem.
„ siccam.
„ strepentem.
„ cum expectoratione junctam.

Theses defendendae.

I.

Plumbi usus internus non concedendus.

II.

Punctio vesicae urinariae supra symphysi ossium pubis illi per intestinum rectum anteponenda.

III.

Non omnis autochir vesanus est.

IV.

Optimus in multis morbis medicus fames.

V.

Fumigatio herbae nicotianae non nocet.

VI.

Lectus obstetricius sella praestantior.

VII.

Remedia absolute diuretica non dantur.

VIII.

Eloquentia nonnunquam remedium efficacissimum.

IX.

Auscultatio et percussio etiam in chirurgia magni momenti.

X.

Medicus castrensis omnibus militiae injuriis et periculis expositus est.

XI.

Monstrositates e matris phantasia originem non ducunt.

XII.

Non datur inter morbos chronicos et acutos discrimen essentiale.

XIII.

Partus praematurus artificialis magnam sibi dignitatem vindicat.